

145.

Equiti Carolo Linnæo Botanicorum Principi
 Ferdinandus Bassi
 Horti medici Bononiensis exoticarum Plantarum Præfectus
 has tres novas Plantarum species
 D. D. D.

Alismam in Apenninorum sublimiorum loco quodam paludoso inveni. Semina circiter decem in capitulum collecta, et seta exornata, reliqui characteres omnes cum *Alismæ* genere omnino conveniunt. Tillius in sua Tab. foliorum paginas pinxit cordato-obtusas, et stipulas subrotundas concavas, at illæ sunt cordato-ovatae, et acutæ, istæ lineares acutæ. Petiolorum nodos omnino omisit, qui nodi ad distinguendam speciem optimam præbent notam.

Psoralea, ut reor, omnino nova viget perennis in horto meo, et hiemem nostram sub dio sustinet. Semina ex Palestina accepi; hæc, quæ tibi offero, vir longe clarissime, semina hoc anno sunt lecta in horto meo. Planta, quæ humanam superat altitudinem, omnibus *Psoralarum* characteribus prædita est.

Apocynum floruit hoc anno in Caldariis meis ad libram accedente sole.

Cal: Perianthium monophyllum, quinque-partitum, erectum, acutum, minimum, persistens.

Cor: Monopetala campanulata, quinquefida: Laciniis oblongis revolutis, truncatis. Nectarium corpusculis quinque ovalibus germen ambientibus.

Stam: Filamenta quinque nectarii breviora. Anthæræ quinque, oblongæ, acutæ basi bifidæ, conniventes.

Pist: Germina duo obovata. Styli vix ulli. Stigma subrotundum germinibus majus.

Per: Folliculi duo. Horum embriones tantum legi, cum enim ad fructificationem accedebant flores, infructiferi decidebant.

Flores extremitatem versus ramulorum fasciculati, et unciali pedunculo donati octo ex una cicatricula, minime vero ex opposito, sed ex alterna superiori cicatricula item octo, quorum odor odorem florum *Periplocæ* caule hirsuto simulat. Caules præcipui nostræ plantæ digiti crassitiem adæquant, et longitudinem decem parisiensium pedum superant.